



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatum Serie Vigesimo-Octavo De Matrimoniis, &
Sponsalibus, cum Indicibus necessariis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

An filij conditionem patris, vel matris sequantur. §. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76659)

matrimonij non obest, quæ est ratio ob quam matrimonium liberi cum seruo irritatur.

Cæterum in præmissa specie inualidum esse matrimonium maximè in Hispania verius censeo cum Couarruo. 4. decret. 2. p. 7. num. 1. Gregor. Lopez leg. 1. tit. 5. p. 4. Gutier. c. 91. m. 16. eo quòd expressè in dicta leg. 1. sic declaratum sit ibi. [Ema-guer que dice de suso que el seruo se torna libre, por que ve o sabe su senior que se casà, lo encubre, con todo esto no vale el casamiento, por que ella no lo sa sabia que era seruo quando caso con el; fueras ende si despues lo consintiese por palabra o por fecho, &c.] Ratio autem ea est, quia Ius Canonicum absolutè matrimonium serui cum libero seruitutis ignaro irritum fecit ob defectum voluntarij, quem liber habere censetur. At huiusmodi matrimonium verè contractum est à libero cum seruo, quia seruus ut libertatem consequatur debet prius contrahere. Ergo contractus stante seruitute formaliter si; siquidem præcedere debet libertatis consecutionem. Et confirmo, nullus est Textus Canonici iuris, quo hoc matrimonium validum esse declaratur, ut ex præcedenti constare potest. Deficiente autem Iure canonico recurendum est ad Ius Ciuile cõmune iuxta c. 1. & 2. de noui operis nuntiat. At in Hispania ius commune ciuile est ius regium non autem ius ciuile Romanorum, illud que in decisionibus casuum seruandum est, vti probat Didac. Perez in 3. q. proemiali in ordin. regal. vers. his tamen non obstantibus.

Neque fundamenta contraria vrgent. Ad primum ex Authent. de nuptiis respondeo ad summum probare vbi ius commune Romanorum obseruatur matrimonium validum esse, secus vbi illius leges vim obligandi non habent. Secundo respondeo eius decisionem aduersus ius Canonicum nullam vim habere posse maximè in nullitate, vel valore Sacramenti matrimonij declarando, cum hæc causa sit spiritualis. Ius autem Canonicum (ut probatur est) comprehendit sub decisione sua generali irritante matrimonium serui cum libero hunc casum. Ergo iuri ciuili non est datum contrarium definire. Tertio nego in illa Authent. decisum esse matrimonium valere, sed iustum esse ut valeat, subintelligitur, si ipsi postmodum consenserint, ut explicat lex regia relata, & indicant illa verba tacitam libertatem sequi; prius enim seruus libertatem consequitur, & eã obrenã iustum est matrimonium constare, cum nullum iam subit impedimentum. Ad secundum nego prædictum coniugium non esse serui cum libero, est vti que tamen libertatem consequatur statim. Ad tertium, admitto prædictum coniugium bonis matrimonij non obstat, nego tamen inde inferri validum esse. Non enim coniugia serui cum libero seruitutis ignaro irritantur ex eo quòd bonis matrimonij aequaliter obstant, aliã irritari debent, esto liber concensus esset seruitutis, sed irritatur ob deceptionem libero factam, & inuoluntarium illius consensum; hæc autem deceptio, & inuoluntarius consensus in præfenti casu adest, siquidem contrahit cum seruo, quem liberum esse credit, neque præfenti potest contradicere, si veritatem agnosceret. Quod si obiciat hinc inferri libertatem non esse concessam in matrimonij fauorem; siquidem matrimonium non subsistit? Negandum est quia ad illum effectum sufficit quod matrimonium abque vilo impedimento conditionis seruilis statim subsistere possit, si coniuges velint. Adde non solum in fauorem matrimonij, sed in pœnam delicti à Domino serui commissi hæc libertas conceditur.

§. IV.

An filij conditionem patris, vel matris sequantur?

- 1 Quoad statum libertatis, vel seruitutis non patris, sed matris conditionem sequuntur.
- 2 Procedit conclusio etiam si quis filium, vel filiam ex sua ancilla habuerit.
- 3 Debet tamen mater, ut filius hanc seruitutem induat tempore conceptionis, pragnationis, & partus seruituti esse obnoxia.
- 4 Quoad nobilitatem, aliisque honores filius non solum legitimus, sed naturalis patrem sequitur.

Quoad statum libertatis, vel seruitutis certum est filios non patris conditionem, sed matris sequi. ita ut si mater libera sit, liberi sint filij, tamen si eorum pater seruus existat. Econtrã verò si mater seruituti subiecta est filij inde nati serui efficiuntur, esto pater libertatem habeat, sicuti decidit in §. penult. instit. de iure personarum. §. sed & si quis, instit. de ingenuis Leg. partum. Cod. de rei vindicat. Cap. fin. de seruis non ordinant. Rationem tradit D. Thom. communiter receptus in 4. 19. q. unica art. 4. in corp. eo quòd seruis qualitas sit potius corpus quàm animam afficiens, at corpus potius à matre quàm à patre procedit, cum in eius vtero formetur, coaugmentetur, & coalescat. Si tamen alicubi contrarium consuetudine intro-

ductum sit, illi standum est. Quippe seruus iuris est humani, ac proinde ex iure humano, quod constituit consuetudo variari potest, ut aperit colligitur ex cap. licet de coniugio seruorum. Et tradit Molin. tract. 2. disp. 3. ad finem. Sanch. plures referens lib. 7. disp. 2. 4. num. 9. Gutier. c. 93. m. 8.

Procedit conclusio etiam si quis filium, vel filiam ex sua ancilla habuerit, eo ipso seruus ipsius efficitur, ut probat lex secunda. Cod. si mancipium ita fuerit alienatum, iuncta Glossa ibi, verbo filium, & notat Sanch. dicta disp. 2. 4. num. 6. Gutier. c. 93. num. 6. Item procedit, siue filij ex legitimo matrimonio nascantur, siue non, quia Textus relati nullam in hac parte exceptionem faciunt, vti constat ex leg. & seruorum, vers. ingenui sum. ff. de statu hominum. Et tradit Sanch. supra, num. 8. Gutier. num. 7.

Ut autem filius prædictam conditionem maternæ seruitutis induat, opus est, ut tempore conceptionis, pragnationis, & partus mater seruituti subiecta sit. Nam si aliquo ex his temporibus libera extiterit, etiam si obnoxia seruituti fuerit, filius liber est censendus, ut constat ex §. sed & si quis, instit. de ingenuis; & manumiss. Et tradit Gloss. in c. fin. verbo deteriori, 1. 9. 4. Mol. na dicta disp. 3. ad finem. Sanch. à num. 10. Gutier. num. 9.

Verum si de nobilitate, aliisque honoribus loquamur, filius legitimus patris conditionem sequitur, ut expressè decidit in leg. cum legitime, ff. de statu hominum, & leg. regia 3. tit. 2. l. 1. p. 2. leg. 1. tit. 11. p. 7. Quinimò eandem conditionem sequitur filius naturalis, tamen si ex concubina domi non recenta natus sit vti nostro iure regio decisum est in dicta l. 1. tit. 11. p. 7. Neque his obest Textus in leg. regia 3. tit. 1. §. 4. excludens filium naturalem à patris, & aui honoribus, quia ut rectè tradit Azuero leg. 10. n. 5. tit. 8. lib. 5. nouis collect. Rojas de iustissimis, ab intestato. cap. 1. Gutier. cap. 93. num. 2. & alij, hæc lex regia 3. loquitur de filiis naturalibus non quibuscunque, sed ex damnato coitu natis: Si ergo nec patri succedunt, neque eius nobilitatem, & honorem participant. Secus verò qui propriè naturales sunt, qui ex testamento integrè succedere patri possunt, ut habetur l. 11. tit. 1. §. 6. & l. 10. Tauri, & ab intestato succedunt in duabus vncis iuxta leg. 8. tit. 1. §. 1. part. 6. & consequenter parentis nobilitatem, & honores participare possunt.

PUNCTVM VI.

Qualiter votum, & Ordo matrimonium dirimant?

- 1 Votum simplex castitatis non est impedimentum dirimens, nisi fuerit emissum in Societate Iesu post biennium.
- 2 Votum solemne emissum in professione Religionis, & susceptione Ordinis impedimentum est dirimens.
- 3 Graues Doctores censent votum emissum in Religione iure natura matrimonium dirimere.
- 4 Vera sententia est non iure natura, sed solo iure Ecclesiastico.
- 5 Ordo impedimentum præstat iure Ecclesiastico matrimonio contrahendo.
- 6 Qualiter autem Ordo obliget, & an susceptus ex metu, vel ante pubertatem matrimonium impediat remissus respondetur.

Constat apud omnes votum simplex castitatis non esse impedimentum dirimens matrimonio contrahendo, vti definitum est in cap. consilium. Cap. rursus. Qui clericus, vel coenobitus. Cap. unico de voto in 6. Ab hac doctrina excipitur votum castitatis, simul cum aliis duobus paupertatis, & obedientiæ emissum in Societate Iesu post biennium, quod est simplex sit, efficaciam habet dirimendi matrimonium, ut constat ex bulla edita à Gregorio XIII. quæ incipit Ascendite Domino.

Votum autem solemne quale est emissum in Religionis professione, & in susceptione Ordinis sacri impedimentum dirimens est matrimonio contrahendi, ut constat ex cap. memorimus, & ex d. cap. Rursus. & cap. fin. Qui clericus, vel coenobitus, & ex dicto cap. unico, de voto in 6. & ex Conc. Trinitate, sess. 24. can. 9. Neque de hac doctrina est inter Catholicos vlla controuersia.

Solum dubitant quo iure votum castitatis maximè in Religionis professione emissum præstat impedimentum dirimens matrimonio contrahendo? Graues Doctores, Durand. in 4. d. 28. quæst. 1. in fine corp. Dominic. Sotus lib. 7. de instit. quæst. 1. art. 5. vers. sed interrogas? Petr. de Soto lect. 5. de matrimonio, sub finem. Couarruo. 2. part. de sponsal. capite 7. §. 4. & alij censent iure natura matrimonium dirimere, eo quòd voto castitatis, paupertatis, & obedientiæ venum Religiosis continentibus tradatur Religiosis Religioni obsequenda. At res vni tradita æquè alteri traditur, ergo nequit Religiosus se coniugi tradere matrimonium contrahendo.